

existimem, haud leves me inducunt conjecturae, ex textu ipso petita. Prima, quia hanc divisionem in ipsamet creatione praestitam videtur asserere: *Et omnes homines de solo, & ex terra, unde Adam creatus est.* Deinde, antequam maledictionis, antequam peccati originalis meminerit: *In multitudine disciplinae Dominus separavit eos, & immutavit vias eorum. Et ipsis benedixit, & exaltavit, & ex ipsis sanctificavit, & ad se applicavit.* Quosnam, quae, nisi mulierem jam inde ante maledictionem exemptam, ejusque Virginitatem prolem, serpentis illius adversariam? His duobus exceptis, benedictis, exaltatis, sanctificatis, sibi que additis, ex universa Adamitarum turba, addit: *Et ex ipsis maledixit, & humiliavit, & convertit illos ad separationem ipsorum, quos jam peccato infectos praevidebat.* Altera conjectura sumitur ex accurata illa antithesi, qua Siracides ita concipit: *Contra malum bonum; & contra mortem vita: sic & contra virum justum peccator. Et sic inuere in omnia opera Altissimi. Duo & duo, & unum contra unum.* Duo & duo, ubi de creatione agitur, libenter interpretor Adamum, & Evam, Christum, & Deiparam: mox illud,

Unum contra unum contra unum, Christum Adamo oppositum, Evae Mariam.

unum id est, Christum Adamo oppositum, Evae Mariam. Sic malo bonum opponit, morti vitam, justum peccatori. Elegantissimam, non verborum, sed contrariarum rerum oppositionem, qua mundi pulchritudo componitur, jure miratur ex hoc loco S. August. 11. de Civit. cap. 18. Hoc igitur posito, ad priorem redeo parabolae partem, in qua Siracides quaerit rationem, ob quam tanta inter anni dies diversitas intercedat, ut alii celebres, festi, laetiae accendant; alii vero in dieum plebem fuerint coacti. *A Domini scientia separati sunt.* Haec prima parabolae pars visa aliam mentem habet, praeter illam, quam pro secunda parte, jam exposuimus. Sicut divina Sapiencia, ac bonitas a prima mundi creatione, Christum, & Mariam a reliquis Adami posteris sejunxit, ita prorsus inter dies discrevit; atque pro scientia, & benignitate sua, hunc esse voluit filii sui natalem laetissimum, illum Paschate illustrem, alium Ascensione celebrem: hunc Matris Virginis Assumptione solemnem, illum Nativitate, alium & quidem festum immuni Conceptione clarissimum. Hoc priori Ecclesiastici sensu statuto, secundum de generali praedestinatorum, & reprobatorum divisione, lector poterit adstruere, quem late Augustinus persequitur.

267 Ego id ex hoc testimonio Mariae vendico; sicut ejus praedestinationem, & electionem a caeterorum Adamitarum vulgo, jam inde a prima rerum conditura dispescuit; ita diem etiam conceptionis nobili nota consignasse, quam eximiam, nobilem, & celebrissimam esset Ecclesiae indicturus. Illud hoc loco contendo, nullam rationem esse, ob quam tantus dies contemptui unquam fuerit. Atque hic illorum Verborum sensus apud Zachariam: *Quis enim despexit dies parvos?* Metonymia esse putatur ab expositioribus, *dies parvi*, pro rebus ipsis exilibus tunc temporis peractis. Ego item enallagem arbitror pluralis pro singulari; nam de una illa die fermo erat, qua lapis in fundamento statutus, & quae de caeterarum ignobilium dierum plebe censeretur poterat. Addit itaque Vates: *Quis putasset ex tam parvis principiis tantam pendere fu-*

Dies parvi qui?

turam gloriam, ad quam templum asurgat? Nemo mihi hanc diem etsi in speciem parvam, ac vilem, despexerit, quae magnarum rerum auspex sit. Sic hos Interpretes juvare libuit, qui eadem opera explicant tam Vulgatum, quam Hebraeum Codicem, qui habet: *Quis enim despexit dies parvarum?* scilicet rerum. R. Abraham in Commentariis: *parvarum consolationum, ac salutarum; alii, parvarum acclamationum;* quae nuper praecesserunt: alii, exiguorum initiorum.

268 Promam ego aliquid minimè fortasse despiciendum. Primum, tamininum genus retineo, & plurativum pro singulari positum autumo, more sacrae Scripturae, & cujusdam amplificationis tacitae gratia; hoc pacto: *Quis enim despiciet diem Parvae.* Ex Hebraeo enim legi potest scite: *Quis tu contemnens diem minima?* Hebraicum *Ketanoth*, tam qualitatem indignitatis, & abjectionis, quam etiam quantitatem corporis praefert; *diem humilis, pusilla.* Arias legit, *diem parvitas.* Meminerit lector, hanc Angeli orationem pro explicatione esse visi lapidis, Dei manibus sculpti, qui primum fundamenti locum tenuit. Sensus ergo est: *Haud pretiosa videbantur fundamenta, haud ita magnifica fabrica futuri aedificii; ac proinde haud valde jucunda locati lapidis dies.* At praeludunt haec, ut jam effecimus, primum gratiae lapidem in Virginei templi fundamento statuendum. Quis ergo hunc idem tanti mysterii praescium, quis tantae lucis umbram despexerit? Quis diem parvulae puellae minimae, minusculae, humilis, contempserit? cum prima ea dies pro multis, iisque festissimis, cum ea Virguncula pro multis futura sit augustissimis Reginis? Nonne Deus pro arbitrio suo dies distinguit? Hinc certe Marianae Conceptionis voluit esse Angelis, & hominibus jucundissimum, honorificentissimum, maximè plausibilem. Haec etsi multis Patrum testimonio adstruere poteram; uno contentus ero S. Anselmi effato hujus diei religioni addictissimi; qui in Homil. de Concep. sic inquit: *Quisquis parvi pendendum putat hujus Virginis celebrare Conceptionem, nec mereatur esse cum fidelibus, nec postea cognoscere Salvatoris adventum. Quae enim festivitas est huic praeposenda, per quam omnium festivitatum est orta devotio? Et infra: In me-met- ipso probabo, quod animo erubescant omnino insensati, qui tantum diem, tantaque sacramenta, ac mysteria, tenebris ignorantiae respuunt celebrare; eo quod viri, & mulieris copula in Conceptione Virginis extitit. Meminere hujus Homiliae Joan. Baccon. 2. d. 4. a. 1. & 4. distinct. 2. q. 4. a. 1. & 2. Addo eundem Anselmum in lib. de extr. Munda. salv. superbiae & arrogantiae adscripsisse illorum audaciam, qui antiquam Conceptionis Marianae celebritatem jam pridem ab Ecclesia Anglicana excultam abolere non dubitassent. Vide S. Brigittam Serm. Angelico c. 10. S. Joan. Damasc. Ser. 1. de Nativitate Virginis, Joannem Aragoniae Regem in Privilegio de Conceptione.*

Dies parva, minima, humilis, pusilla, dies Mariana Conceptionis.

Dies Mariana Conceptionis voluit Deus ut esset Angelis & hominibus jucundissimus, honorificentissimus, plausibilis, festivissimus.

S. Anselm.

269 Quis ergo despexerit diem parvae, humilis, abjectae in speciem? Laetabuntur, & videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel. Hinc plausus illi, quorum meminit Siracides noster; *exaltabitur, admirabitur, habebit laudem, benedicetur.* Et quos quidam Interpretes ex prophetis verbis deducunt: *erunt plausus, & acclamationes, gratia gratia ei.* Hinc S. Anselmus

S. Anselm. selmus loco proximè memorato: *Hac igitur filii dignissima Parens, cum in alvo sua Parentis naturali lege conciperetur. Quis non concedat, Dei Sapienciam a fine usque ad finem pertingentem, cuncta implentem, cuncta regentem, novo quodam gaudio caelum, terram, & omnia, quae in eis sunt, perfudisse, ac ineffabili jubilatione, pro sui redintegratione, quam per illam sibi eventuram, divina & occulta inspiratione praevidebant, perustrasse? His accensum cum Psalmista Pf. 47. Fundatur exultatione universa terra mons Sion: ubi sub nomine montis Sion, ad fundationem Templi Salomonici allusum fuisse reor, quod in monte Sion constitutum esset: ut bene probat nosler Villalpandus Tom. 3. in Ezech. in apparatu Urbis, & Templi p. 1. lib. 1. cap. 16. Hebraice est *Pulcher climate, gaudium universae terra mons Sion:* & ita legunt Pagninus, Fortterus, Vatavus, & alii S. Chrylost. *Bene radicitur in gaudio, & laetitia universi orbis terrarum mons Sion.* Chaldaeus: *Gaudium est omnium habitatorum terrae.* Apollinaris & Ambrosii dilatans exultationem. De B. Virgine verba capit S. Chrylost. Serm. de Annunciatione. Certè in hujus Mariani Templi prima fundatione, tunc cum primarius in ea originalis gratiae firmissimus lapis in imo fundamento locatus est, utriusque creaturae, Angelicae praefertim, summae acclamationes, plausus, gaudia, & exultationes fuere. Ut enim S. Vincentius Ferrar. in Ser. 2. de Nativ. B. Virgin. aiebat: *Statim postquam corpus fuit formatum, & anima creata, tunc fuit sanctificata: & statim Angeli in caelo fecerunt festum magnum.* Adde ex Bernard. Buftio 1. p. Marial. Serm. 8. revelatum fuisse Moniali; quod postquam Dæmones ceciderunt, Angelos in gratia confirmatos singulis annis festum conceptionis Virgineae celebrasse in caelesti curia summis plausibus, & gaudiis, quia in mente divina fuit praeservata ab aeterno. Preme pro iisdem plausibus & gaudiis illud Psalmi 86. 7. *Sicut laetantium omnium habitatio est in te.**

Fundata Deipara gaudio universae terra.

S. Vincentius Ferrar.

Pfal. 86. 7.

Moralis Illustratio.

SECTIO XIII.

Sanctitas est Christianae Sapienciae anima; sine qua inanis, & emortua extat quaecumque sapiencia.

270 Quod est corpori animus, id Christianae sapienciae est sanctitas animae: ut enim corpus sine anima inane extat, & emortuum; ita sine sanctitate inanis est, & emortua omnis sapiencia. Etenim cum Sapiencia Incarnata suam commendare animam aggreditur, sapienciam laudat, quae sit vivida, sanctitate ipsa veluti animata, & firmata, ei adjuncta, & ab illa inseparabilis. *Sapiencia laudabit animam suam.* Habes apud Isaia c. 11. illam Dei vocem, *Plenus sum.* Ast, qua ratione plenus? Eleganter explicat S. Ambrosius in Epist. ad Colof. 2. 3. *In soliditate virtutis, integritate justitiae, & ubertate sapienciae, ipse dixisti Domine: Plenus sum.* Certè Dei plenitudo in eo maximè respicendat, & stat, quod ubertati sapienciae adfoctetur soliditas virtutis, & justitiae, sive totius sanctitatis integritas. Sic ejus sapiencia solida est, non inanis; integra, non diminuta; vivida, non emortua. P. Hldeph. de Flores in Eccles.

S. Ambrosius. Plenus dicitur Deus in soliditate virtutis & sanctitatis.

Isai. 1. 11.

Præmonstrans Incarnatam Sapienciam Rex Salomon Sap. 7. 26. aiebat: *Speculum est Dei majestatis, & imago bonitatis illius.* Facessit negotii non parum, cur Dei Sapiencia imago solius bonitatis divinae dicatur? Cur hoc dumtaxat divinae bonitatis imago in illa veluti in speculo repraesentari afferatur; cum speculum referre soleat quidquid ei obversatur? Cur Dei Sapiencia non appellatur imago, & speculum, in quo Dei omnipotentia, justitia, misericordia, fortitudo, & reliqua attributa repraesentantur? Cur non dicitur imago, & speculum divinarum omnium perfectionum, sed bonitatis solummodo? Certum est, Incarnatam Dei Sapienciam speculum esse, & imaginem omnium attributorum, & perfectionum divinarum; nihilominus tamen peculiariter dici putaverim divinae bonitatis speculum, & imaginem, quoniam loquitur Sapiens de sapiencia, quam Filio Pater ex vi suae productionis per intellectus operationem ei communicavit: haec autem sapiencia ut vivida esset, ut speculum esset vivida ratione imaginem referens, ut speciosè formata, & perfecta, necessum fuit, bonitate ipsa animari, quasi vitali spiritu; a quo colorem, lucem, & pulchritudinem acciperet. Ut enim vultus humanus imago quaedam animi est, & speculum; ita ut anima in facie se maximè videndam, atque cognoscendam exhibeat; ad eum planè modum, quo in ipsa quasi horologii facie horae, quas abditae intus rotæ conficiunt, foris cognoscuntur: simili quoque ratione sapiencia divina speculum dicitur, & imago bonitatis divinae; hanc enim ipsa Dei Sapiencia conspiciendam refert, ac prodit, & ad amulum repraesentat. Unde sicut deficiente anima, deficit faciei pulchritudo, color, lux, splendor, imò & imaginis natura; & statim adest mortis pallor, & foeditas; ita si deficeret bonitas, omnino deficeret ipsius sapienciae pulchritudo, color, lux, splendor; imò & imaginis natura, ac proinde sapiencia ipsa deficeret, evanesceret, ac nihil prorsus esset: nam deficiente bonitate, deficeret ipsius sapienciae vitalis spiritus eam animans, & vivificans. Est ergo sanctitas, ipsius sapienciae Christianae anima.

Cur Incarnata Sapiencia nomine imago divinae bonitatis

271 Expende quid de hac Dei Sapiencia praedicet Siracides noster c. 4. 12. *Sapiencia filii suis vitam inspirat.* Sermo utique est de Sapiencia increata, Deo nempe, qui est vita essentialis, & sanctitas ipsa, quam filiis suis inspirat, infundendo eis vitam creatam, gratiam scilicet & charitatem, quae est quasi supernaturalis anima Christianae sapienciae. Cum enim ipse Deus sit sapiencia sancta, & sanctitas sapientissima, filios gignit sibi quàm simillimos in sapiencia per sanctitatem, gratiam, & charitatem animata. Rem attingit Clemens Alexand. Stromat. qui Ecclesiastici verba effert: *In flavit Sapiencia filios suos* (id est, inflando, vitam eis inspirat) ita pulchrè: *Non enim iis, qui sunt in doctrina singulari, factum & arrogantiam ingeneravit Dominus; sed in veritate habere fiduciam, & esse magnificum in cognitione; effici contemptorem eorum, quae trahant ad peccatum; quod significat dictio, inflavit; quae docet magnificentiam sapienciae, quae implantatur iis, qui sunt per doctrinam filii.* Ut vides, filii sapienciae increatae dicuntur qui sapientes sunt, non mundiali sapiencia mundalia bona appetente, sed eà sapiencia imbuti, quae magnifica sit, peccati expers, & dumtaxat sanctitati ipsi innitens, & adherens. G Hujus

Eccle. 4. 12.

Sapiencia vitalis debet esse sanctitate animata.

Clemens Alex.

Huiusmodi enim sapientia vitalis est, ipsa- mer sanctitate animata. Atque hoc sensu di- citur divina sapientia filii suis vitam inspi- rare.

272 Sanè, ut reor, hoc dictum cum intui- tu ad primam hominis efformationem, de qua Gen. 2. Elaborato enim ex lutea materia cor- pore Adami politissima Dei manu; Deus ipse inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem. Etenim, ubi Adamus hanc Dei insufflationem accepit, sapientissimum, & sanctissimum apparuisse, rationali anima conspicuum, in qua sanctitas cum sapientia mirifice adijungebatur, liquido constare debet. Per hoc enim vitæ spiraculum per- fecit Deus quod paulò antè facere decreverat: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Imago autem, & similitudo Dei homini impressæ in eo maxime relu- cent, quòd intellectu, & voluntate constet, sapientia, & sanctitate; sapientia intellectum illuminante, sanctitate voluntatem inflamman- te. Si verò sanctitas homini defuerit, desit ne- cessum est solida, & vivida sapientia, ac pro- inde Dei imago si non essentialis, accidenta- lis tamen. Eapropter Regius Cantor de ho- mine ab hac imaginis, & similitudinis gloria per peccatum deturbato, cecinit Pl. 48. Ho- mo cum in honore esset, non intellexit: compa- ratus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. In præcellenti sapientia condi- tus, obstruit per culpam: non sapiens jam, sed insipiens, dum sanctitate caret, brutis ob- sequitur concupiscentiis, æterna negligit, & ad cadauca, & bruta se convertit, ad pastum, ad sensum, ad voluptates se dejicit. Qui in rerum naturalium, coelestium, terrestriumve cognitione doctior erat, in politicis oculatior in divinis instructior; statim atque sanctitatem amisit, omnis in eo sapientia, quæ perficit, est præstantissima, emortua erat, inanis, & quasi nulla, cadaverisque ad instar apparuit: deficiente enim sanctitate, defecit ipsius sapien- tiæ vita, & anima, quam Deus filiis suis inspirat.

273 Doctorem, Patremque multarum Gen- tium non illiteratum, & rudem, sed sapien- tissimum, Deus constituere voluit Abraha- mum; quod ut præstet, pristino nomini Abram litteram addidit Gen. 17. 5. Nec ultra voca- bitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia Patrem multarum Gentium con- stitui te. Philo Judæus lib. de Gigantibus, & in lib. de Abrahamo putat id intercedere dif- criminis inter Abram, & Abraham; quòd prius nomen significat virum astrologicum, poste- rius verò sapientem: Ergo mutatio nominis ex Abram in Abraham, significavit, fuisse jam mutatum ex homine Philosopho in virum sapien- tem, & planè divinum. Licet Philolophus, & Astrologus esset, non tamen sapiens diceba- tur, nec sapientia pollebat. Cur id, quæso? Certè quia ei sanctitas illa deerat, quæ vita est veræ atque Christianæ Sapientiæ. Ubi ob- serva cum S. Hieron. ex Hebræis antiquiori- bus id referente; charitatem nomini Abraham communicatam ex divinissimo, ac ineffabili Dei nomine Jehovah fuisse depromptam. Di- cunt Hebræi, quòd ex nomine suo Deus, quòd apud illos tetragrammaton est, He Abrahæ addiderit. Deinde, si Ambrosio credimus, littera illa He duplicem illam habet signifi- cationem est, & vivit. Adde, additam no-

mini Abraham litteram He, Latinis esse inspi- rationem, sive spiritum, ut quæ aspirando, si- ve exsufflando efformetur, quod vitæ argu- mentum est. He litteram (ait Agellius lib. 2. c. 3.) sive illam spiritum magis, quam lit- teram dici oportet, inferebant veteres vocibus verborum formandis, roborandisque ut sonus ea- rum esset vividior, & vegetior. Quorsum igitur hæc? Certè ut appareat, hominem litte- ratum, & sapientem, tum verè esse litteratum, & sapientem, cum spiritu Dei vivit, & san- ctitate pollet: tunc veram, solidam, vividam- que esse illius sapientiam, cum interiori spiri- tui, gratiæ & charitati adsociatur: quòd si Dei spiritu, & charitate destituatur, non ve- ra, sed ficta; non vivida, sed emortua; non solida, sed inanis haberi debet. Ille ergo ve- rè sapiens, qui utrumque noscitur habere adsociatum, sapientiam & sanctitatem; sancti- tatem videlicet, quæ ipsius sapientiæ vita, & anima sit. Hæc enim est vita, quam divina Sapientia filiis suis inspirat.

274 Ob oculos tibi propone duos illos Che- rubinos intra oraculum Templi Salomonici constitutos 3. Reg. 6. Et fecit in oraculo duos Cherubim de lignis olivarum, decem cubitorum altitudinis. Textus quoque Cherubim auro. Ex materia oleagina, & superposito auro dicun- tur elaborati Cherubini, & decem cubitorum erecti statuuntur. Cur ita? Certè duobus il- lis Cherubinis appositè representari sapientis- simos Ecclesiæ Doctores suadet in primis ip- sorum etymologia; vulgatissima quippe, & gravissima nominis Cherub declaratio affirmat illum in se includere plenitudinem sive multiudi- nem scientiæ. De quo Alcazar in cap. 4. Apoc. v. 7. notat 7. 5. Mendoza tom. 2. in lib. 1. Reg. c. 4. v. 4. numero suo 35. Deinde S. Augustini verba Salomonicos hos Cherubinos considerantis id etiam suadent: Creatura ra- tionalis in multitudine scientia (quoniam hanc interpretationem habet Cherubim) duobus ipsis animalibus significatur. Rursus altitudo illo- rum dicitur esse decem cubitorum, quasi ad decem præcepta eorum mensura fuerit exacta; ostendaturque perfecta sapientia & sanctitas in perfecta Cherubinorum statura significari; ea autem perfecta tunc esse, si divinis præcep- tis commensuretur. Igitur ex lignis olivarum, & auro constare dicuntur, oleaginea materia intus quasi vices animæ agente, auro veluti corpore foris apparente. Ut designetur, sa- pientiæ Christianæ in auro præfiguratæ (au- rum enim sapientia est, ut ait Origenes in Epist. ad Rom. c. 15.) animam, ipsam esse sanctitatem, gratiam, & charitatem (quæ per olivarum ligna symbolicè significatur) sine qua non aurea est, sed deaurata; non vivi- da, sed emortua; non solida, sed inanis; non vera, sed futura quæcumque sapientia. De li- gnis olivarum (ait ibi Lyranus) sunt facti, quia gratia spiritali sunt uncti, ne inquam arescant ab amore Dei, & quia lucem nobis scientiæ tribuunt, juvante flamma charitatis.

275 Hinc Paulus 1. ad Corint. 13. 2. Si habuero prophetiam, & noverim mysteria om- nia, & omnem scientiam; charitatem autem non habuero, nihil sum. Nihil habendus, ni- hil omnino esse existimandus sapientissimus quisque, si ille desit sanctitas; nulla ejus sa- pientia est, cujus quantitas æstimari debet de mensura charitatis, quam habeat; quæ multum habet charitatis, magna est; quæ parum, parva; quæ

Agellius. He littera spiritus qui- dam est.

3. Reg. 6. 23.

Cherubini Templi vi- ros portende- bant sapien- tes, in qui- bus sanctitas sapientiæ adsociata.

S. August. qu. 105. in Exod.

Origen.

Lyranus.

1. Corint. 13. 2.

Nihil ha- bendus sa- pientis sine sanctitate.

Sapientia Christiana definitio. S. Bernard.

S. Nazianz.

S. August.

Si desit san- ctitas, desit quasi pars essentialis hominis sa- pientis.

Osæ 4. 2.

משיח

Mortua est sapientia, sudario involuta, & sepulta, quæ sanctitatis caret operibus. Matt. 25. 18. Theophil.

Euthym.

S. Gregor. Lyranus.

Prov. 2. 4.

Plato.

S. Athanas.

verò nihil, nihil: in nihilum abit scientia, ubi sanctitate destituitur. Preme Sanctorum effata Christianam sapientiam definiunt. Si quis sapientiam ait S. Bernard. Ser. 85. in Cant. virtutis amorem desinerit, non à vero devia- re videbitur. Et post paucas lineas ibidem: Nec dixerim reprehendendum, si quis sapientiam saporem boni desinat. Et S. Nazian. Orat. 15. sub initium: Prima Sapientia est vita proba, & honesta. Et S. August. lib. de Spiritu, & Anima: Sapientia est amor boni, sive sapor boni. Et lib. 2. de Academicis disput. 2. Recta via vitæ est Sapientia. Ecce tibi Sapientia Christiana definitio. Est amor virtutis, est amor, sive sapor boni, vita proba & honesta, recta via vitæ. Fit inde, nul- lam prorsus esse sapientiam illius, in quo desi- derentur virtutis amor, amor & sapor boni, vitæ probitas, honestas, rectitudo; cum hæc sint quasi partes essentielles Christianæ Sapien- tiæ. Non longè absimili ratione, qua huma- ni compositi pars essentialis est anima ratio- nalis: sicut enim hac deficiente, desit com- positum; ita similiter deficiente virtutis amo- re, sapore boni, vitæ probitate, & honesta- te, desit Christiana sapientia; inanis est, & emortua, quasi corpus sine anima; nihil om- nino est. Subinde Osæ 4. 2. Non est scientia Dei in terra. Chaldaeus vertit: Non sunt qui ambulent in timore Dei in terra. Quasi desi- derato Dei timore in hominibus, desideretur in illis, quantumvis sapientibus, Christiana sa- pientia; cujus initium est timor Domini. Psalm. 110. 10. & Ecclesiastici 1. 16.

276 Huc spectat parabola de talentis inter servos distributis Matth. 25. Talentum, sive mnam unam accepta Domino servus unus, non ut deperiret, sed ut lucra numeraret suæ ne- gociationis: ille verò funditus talentum, & omnia perdidit. Expende quomodo abiens fo- dit in terram & abscondit pecuniam Domini sui. S. Lucas addit, mnam sive talentum in sudario repositum: Ecce mnam tuam, quam habui repositam in sudario. Quod ita argutè Theophylactus explicat: Sudario mortuorum facies velatur: merito ergo hic piger dicitur mnam in sudario involuisse, quia eam morti- ficans, & otiosam dimittens non tractavit, ne- que auxit. Cernis, qua ratione talentum su- dario involutum, sepultura mandaverit, tan- quam cadaver, sive corpus vitæ destitutum? Bene ita sit. Cæterum, inquiri, quid per hu- jusmodi talentum, quod genus pecuniæ est pretiosissimum, detur intelligi? Euthymius, & Chrysoctomus gratiam docendi designari pu- tant; servos autem, quibus talenta distribu- untur, esse Ecclesiæ Doctores, Præceptores, Episcopos. S. Gregor. Homil. 9. in Evang. in uno talento intellectum agnoscit: Lyranus verò bona scientia. Sic sapientia Christiana à sapientissimo Rege Prov. 2. 4. numisma ap- pellatur: Si quaesieris illam quasi pecuniam. Et Plato in Phædone sapienter scripsit: Ille dum- taxat vetus, ac verè aureus nummus, cujus gratiâ reliqua oportet commutare, & venun- dare, scilicet sapientia. De ethica, & mora- li sapientia loquitur. En talentum, mnam, num- mum, sive pecuniam, quam improbus ille ser- vus sepelivit. Certè sapientia, quæ ei tradita à Deo fuit, vivida sapientia erat; talentum erat, in quo impressa resplendebat Dei sapien- tissimi imago & superscriptio. Ut enim (S. Athanas. inquit Ser. 3. contra Arrian.) Ver- P. Ildeph. de Flores in Eccles.

bi sive rationis Dei nostra ratio simulacrum existimandum est; ita quoque ejus sapientia hæc nostra sapientia imago quædam existima- ri debet. Talentum ergo hoc, cum imaginem Dei præ se ferat, quæ imago est bonitatis di- vine, sapientia est sanctitate resplendens, ut ea nos, tanquam probata pecunia, negociemur, & salutis lucra duplicemus. In mani- bus nequissimi servi dum sterilecit, & vacuum salutis lucro manet acceptum donum, statim talentum mentis, sive sapientiæ ad instar ca- daveris iacet emortuum, sudario involvitur, & sepultura datur. Quid mirum, si sanctita- te ipsa, quæ est Christianæ sapientiæ anima, destituitur?

277 Scribarum, & Phariseorum vitia mul- tis carpens Dominus, aiebat Matth. 23. 27. Similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus, & omni spurcitiâ. Scribæ & Pha- risei sapientissimi apud suos habebantur, & apparebant: legis erant expostores, & Docto- res, ut claret ex Matth. 23. 2. & multis proba- noster Barradas Tom. 3. in Evang. lib. 8. c. 17. & 19. Sapientiâ præstare reliquis se- jactabant; sapientiâ videbantur imbuti, & spe- ciosè ornati: sed cum eorum sapientia esset absque interna animæ sanctitate, imò vitis nimiope sædata; propterea Christus D. eos sepulchris dealbatis scitè, & opportunè assi- milat, quæ foris mortalium oculis speciosa apparent, intus verò scatent fœtidis cadave- ribus. Ita excogitavit S. Ambros. premens S. Ambros. Matthæi verba: Similes estis sepulchris deal- batis: sic doctrina sine vitæ innocentia, sepul- chrum quoddam est cadaveribus plenum, inani quodam splendore intuentium oculis elu- dens: sepulchrum est, in quo vita desidera- tur; & nonnisi tenebræ, & umbra mortis ve- rè perstant. Certè, sanctitas, Christianæ sa- pientiæ anima est, sine qua omnino emortua extat quæcumque sapientia.

SECTIO XIV.

Quamvis sapientissimus sis, non tam sapien- tia, quam sanctitatis dotes commendare, & æstimare debes.

278 Hæc tuadent priora Ecclesiastici nostri verba: Sapientia laudavit animam suam. Etenim cum se ipsam Incarnata Sapien- tia dilaudare posset, suam dumtaxat animam dicitur commendasse, non tam à sapientiæ, quam à sanctitatis dotibus. Ut planè doceat, quòd sapientissimus quisque non tam sapien- tiæ, quam sanctitatis animæ dotes commen- dare, & æstimare debeat; salus enim animæ pluris habenda quovis sapientiæ cumulo. Re- cte proinde S. Aug. Ser. 3. de S. Cypriano: S. August. Sapientis mores volo, non voces: sapientiam lauda- laudanda non sonando, sed consonando. Quasi dicat: Dotes sanctitatis in anima magno tibi in pretio sint, non sapientum vo- ces, quæ facile evanescent: nec aliud sa- pientia pretium habet, nisi bonam vitam, si- ne qua nullius est pretii: consonet sanctitati sapientia, & gratissima vocum harmonia per- sonabit magni habenda: sapientiæ enim vox absque sanctitatis voce, sonat quidem, sed minimè consonat, atque adeò raucè sonat, & submisè: nam acuta vox, magna & con- tenta, sanctitatis vox est, harmoniæ Chri- stianæ

Matt. 23. 27. Sapientis si- ne sanctitate sepulchris similes deal- batis.

S. Ambros.

S. August. Sapientiam laudanda non sonando, sed conso- nando.